

## §. X.

Cavetur calumnijs Indorum, eorumque perjurij aduersus eorum Ministros.

*Conc. Limenf. 3.  
a. 4. cap. 6.*

*Ne in bujusmo.  
di Ministros pro-  
cedatur, antequā  
per ipsum Judicem,  
aut ejus de-  
legatum in par-  
tibus Inquisitio  
fiat.*

*Text. in cap. fin.  
3. queſt. 6.*

*In cap. suspectos.  
In cap. nullus 3.  
queſt. 5.*

*In cap. si testes  
4. queſt. 3.*

*Quid servan-  
dum cum Ne-  
ophitorum jura-  
menta recipien-  
tur?*

*Consule de hoc  
Ferdinandū Zu-  
rita in primo In-  
quiridione que-  
stionum Theolo-  
gic. q. 20. f. 72.*

**S**acerdotum honori, quibus Indorum cura imminet, prospicere volens hæc Synodus, ne eo magis falsis accusationibus agentur, quo studiosius subditorum indigenarum vitis, aut Hispanorum avaritiae modum imponere conantur: perpendensque, quam proni sint ad perjuria Indi, quamque facile ad id inducantur, statuit, ac precipit in primis, ne ullus Sacerdos a districtu Indorum, cui ministrat, expellatur, quamvis graves querelæ contra eum dentur, nisi prius per Judicem Ordinarium, aut delegatum, ibi Inquisitio fiat, ubi crimen admissum a Sacerdote dicitur. Si enim Judex Ecclesiasticus ibi praesens assit, de omnibus plene instructus, quæ, & quanta fidis testibus sit adhibenda, facilius agnoscat. Infideles nullatenus in testes admittantur, Sacris est Canonibus constitutum, nec etiam illi, qui suspecti sunt, quamvis Christiani, Indi, vel Hispani sint, sed solum timoratae conscientiae homines, minimeque suspecti. Neophitos ad jurandum nequaquam Judex compellat, nisi causa sit gravis, & cojuus veritas aliter elucidari non possit. Quo in casu moneantur primum Neophiti, quam grave malum perjurium sit. Si autem falso aliqui jurasse comperti sint, eos, ut ceteri metu pœnæ terreatur, & cautiores evadant, publice flagellari Judex præcipiat, & ut majori ignominia afficiantur, deronderi faciat. Denique in causis, quæ ex testimonio Indorum dependent, accurate Judex

43

44

ani-

animadvertiset quæ, & quanta fides testibus adhibenda sit, præsertim cum manifesta sit omnibus Indorum ad perjuria propensi. Quæ omnia Christianæ Judicium prudentiæ hæc Synodus commendat.

*Ex Doct. Meno-  
cibij de arbitra-  
rii Judicij qua-  
tionibus, casu  
go.*

## TITULUS VI.

De Sententia, & re judicata.

## §. I.

Fiscalis omni tempore Jus habeat petendi quod expedie-  
rit in causis super Matrimonij clandestinis, binis nu-  
pijs, & quibusdam alijs.

*Synod. Granat.  
titul. de sent. &  
re judicata.*

**I**n sententijs, quæ super Matrimonij clandestini ferantur, semper jus petendi quicquid ex- pedierit, Fiscali reservetur, idemque observe- tur in sententijs, quæ super binis nuptijs, & criminibus alijs inter partes proferantur, Notarius vero reservationem hujusmodi Fiscali intimet, actaque intra tertium diem tradat, ut graves contra delinquen- tes pœnas postuleat.

## §. II.

Sententiæ ferantur secundum hujus Synodi Decreta,  
idque in scriptis.

**S**ententiæ, quas Judices, & Vicarij tulerint, juri, & his decretis conformes sint, quarum, postquam latæ fuerint, nisi in casibus a jure permisilis, nulla sit dispensatio. Decreta vero in scriptis fiant ita, ut semper de his constare possit. Quamvis autem in aliquibus summarie procedant, ob id exceptiones legitimi-

Mm

mas,

mas, & partium necessarias probationes, in forma a jure concessa admittere ne recusent.

## §. III.

Injusle in carcere detentis consulitur.

Mexic. I. c. 76.

**Q**uoniam s<sup>e</sup>pē contingit, ut Clerici, & Seculares hujus Provinciæ nonnulli, parte, vel Fiscali instantibus, ob aliqua commissa crimina in pœnis pecuniarijs condemnantur, qui a sententijs, cum se gravatos sentiant, provocantes etiam pecuniariam pœnam deponant, & de representando cautionem præstent, a Judicibus minime e carcere liberantur, immo s<sup>e</sup>pē s<sup>e</sup>pius, eo quod appellant, novis vinculis constringuntur; idemque fit cum accusatores afflendi reos causa, & eosdem in carcere detinendi, a sententijs etiam juste latis appellant: Ob eam causam ne deinceps his moleftijs capti afficiantur; statuit hæc Synodus, ut pecuniaria mulcta in depositum data, & cautione præstita de repræsentando: condemnatis hujusmodi Civitas, aut oppidum a Judicibus, & Officialibus pro carcere constituatur, pœna interposita non obstante.

## TITULUS VII.

De Appellationibus, & recusationibus Judicium.

## §. I.

Quando, & quomodo appellationes admittendæ, que sunt a delinquentium Procuratoribus?

Synod. Gran. tit. de sent. & re judicata.

**P**rocuratores delinquentium, qui appellaverint, in gradu appellationis minime audiantur, nisi testimonio adhibito, quo constet de-

lin-

linquentes in carcere detineri, aut eos antequam Judget, a quo provocatum est, sententiam ferret, præstata cautione, fuisse liberatos.

## §. II.

Quid observandum, cum reus coram Judice ad quem se personaliter sisit?

**I**n causis criminalibus, quando aliquis se in gradu appellationis coram Judice ad quem personaliter constituerit, ne audiatur, donec testimonium ostendat a Judice inferiori carcere detentum non fuisse, deinde vero in carcere se præsentet, cui postea litteræ citatoræ, & compulsoriæ ad testimonium hujusmodi, & processum deferendum concedantur. Ne ob eam causam quod se coram Judice superiori constituerit, contra ejus bona, & fideiussores procedatur. Quod si constiterit, eum, non effracto carcere, ad superiorem Judicem consugisse, nullaque damna inde subsecuta, & id ejus causa patiatur, convenienti præstita cautione, alia carceris custodia eidem poterit assignari, servatis in his, quæ a jure Pontificio statuta sunt, & his Decretis sancta-

## §. III.

Quid Judex ad quem facere debeat, priusquam appellationem admittat?

**C**UM quis se coram Judicibus appellationum constituerit, & causa non inter partes, sed ex officio ventilata est, nec appellatum est a sententia definitiva in casibus a jure, & hujus Synodi decretis permisissis, antequam admittatur, aut eidem litteræ inhibitoræ concedantur, constet appellantem ca-

Mm2

ptum

ptum detineri, sive in carcere Judicis *a quo*, sive Judicis *ad quem*, & eo sic detento, præcipiatur Judicii, ut, si id instantiam partium præcessit, eas nominet, & ut citentur, citatorum expediatur. Quod si ex officio causas, & rationes mittat, quibus adductus in causa processerit, itidemque compulsoriæ litteræ concedantur, ut acta, & processus ad superiorem Judicem transmittantur, quibus transmissis, quod juris fuerit, provideat. Ut vero hoc melius fiat, Fiscalis citetur, qui in causa se opponere teneatur, eique tantum Advocato salario ob id constituantur.

## §. IV.

*Ne inhibitorie expediantur, nisi actis processus prius examinatis: neque executio impediatur, quando ex scripto Tridentini per appellationem non suspenditur.*

Judices *a quo* ne inhibeantur a Judicibus superioribus, neque ab eis inhibitoriæ, aut suppressoriæ litteræ concedantur, nisi actis processus prius perspectis, & examinatis; neque executio impediatur in causis, in quibus ex jure, & Decretis Concilij Tridentini per appellationem non suspenditur executio sententiæ, aut decreti. Quod si secus fiat, inhibitoriæ, processus, decreta, & alia inde sequuta, & acta invalida sint, & nullius effectus, ut est ab eodem Concilio dispositum, ac praeterea in visitationibus, & Syndicatis, Judicium excessus hujusmodi corriganter. In Concilijs quoque Provincialibus horum excessum, si puniri non fuerint, ratio petatur. In appellationibus vero a sententijs interlocutorijs, sive reparari possint, sive non per sententiam definitivam

*Seff. 13. c. 1. &  
Seff. 24. c. 20. de  
reformat.*

*Seff. 22. cap. 7.*

musq

sunt

Offi-

*Conc. Trid. ubi  
sup. d. Seff. 13.  
& 24.*

Officialis, & Judicis, observent, quod est a Concilio Tridentino decretum.

## §. V.

*Metropolitanorum Vicarij ne Censuras ferant aduersus Suffraganeos.*

*Tex. in Cap. §.  
Officialis autem  
de Officio Ordinarij lib. 6.*

Tidem interdicitur, ne Officialis, & Judices Metropolitanorum Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti Censuras decernant contra Episcopos Suffraganeos, juxta Constitutionem Innocentij Papæ IV. quæ incipit. *Romana Ecclesia.*

## §. VI.

*Si Concubinarij appellaverint, a carcere ne liberentur, antequam causa finitur, nisi ex causa validè urgenti.*

In causis concubinatus quorumcumque, sive Ecclesiasticorum, sive Secularium, si hi, aut eorum concubinæ appellaverint, a carcere per Judicem inferiorem, aut superiorem ante ne liberentur, quam causa terminetur, nisi ob justas valde, & necessarias causas Judicibus videbitur, quorum conscientiae in hoc operantur.

## §. VII.

*Quando, & quomodo probationes a partibus in gradu appellationis recipienda.*

In gradu appellationis partes ad probandum ne recipiantur, si se ad probandum non obtulerint, quod si fecerint, pena eis imposta, si non probaverint, ad probandum admittantur.

IACI

Nu

§. VIII.

*Quid faciendum, si appellans causam non prosecutatur.*

**S**i appellans causam appellantis non prosecutatur, & concessis sibi compulsoijs litteris, acta non transportet, appellantisque desertio a parte adversa petatur, in hoc servetur, quod est jure Pontificio constitutum. Si vero desertionem non petat, sed prosequi causam velit, mandetur appellanti, ut suis impensis acta una cum causa, & ratione, quibus motus Judex a quo sententiam tulit, aut in causa processit, deferat, termino ei ad hoc competente praefixo. Quod si appellans non efficerit, parti adversae facultas detur, ut appellantis sumptibus processum una cum alijs jam dictis afferat, si ea appellantio alterius partis appellantis non adhaesit, si vero adhaesit, omnibus utriusque partis sumptibus id fiat.

*Constitutio Bonifacij VII. si contra unum in cause recusationis observetur.*

*Tex. in cap. si contra unum de Offic. deleg. lib. 6.*

**Q**uando aliquis ex Officialibus fuerit recusatus, recusans recusationis causas coram Justice recusato proponat, qui causas hujusmodi ad Episcopum deferat. Episcopus vero causam principalem decernendam suscipiet, partesque audier in articulo recusationis, ad prescriptum constitutionis Bonifacij VIII. qua incipit, *si contra unum, eamque servari, & adimpleri haec Synodus injungit.*

## LIBRI TERTIJ TITULUS I.

De Officio Episcoporum, & vita puritate.

DE HIS, QUAE AD PROPRIAM EPISCOPI  
PERSONAM PERTINENT.

Episcoporum vita alijs norma sit.

*Conc. Trid. Sess.  
6.c.1. dereform.*

**A**CCINGERE se volens Sacrosancta, Oecumenica, generalis Tridentina Synodus ad collapsam admodum Ecclesiasticam disciplinam, juvante Domino, restituendam, ac depravatos in Clero, Populoque Christiano mores emendandos, spem in Episcoporum integritate summam collocavit his verbis: Integritas praesidentium salus est subditorum, & verus Ecclesiasticae Hyerarchiae scopeus precipuus is est, ut Episcopum instruat omnibus numeris absolutum, Sancto Dyoniso Areopagita dicente; Pontificum Ordo Sacratus is est, divina speculantum Ordinum, qui summus est, & ultimus, sicut enim Hyerarchiam omnem in JESU terminari conspicimus, ita unamquamque functionem in suum Pontificem. Ex quibus facile colligere est, qua puretate vitae, morumque integritate praeditus is esse debeat, quem divina gratia, & assida virtutum exercitatio ad statum perfectionis evexit: qua humilitate, qua benignitate, qua mansuetudine, qua charitate,

*Milan. 1. tit. de  
vita, & honest.  
Episc. a fol. 60.  
& Composit. Ccc.  
act. 3. c. 1. cum  
seq. & Tole. ab.  
2. a cap. 1. cum  
seq. Provinc. de  
Quir ab. 2. De-  
cret. 3. & 5. &  
Limens. 3. act. 3.  
c. 1. & 2. opime  
Conc. Milan. 4.  
3. p. tit. de Epi-  
scop. cum seq.*